

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0686

0684

0690

0680

0695

0675

0735

0635

0785

0585

0185

Ende

Anfang

113

Vicesima septima die, quae fuit IX. post Trinitatis, mane
venerunt omnes peregrini ad Officium Missae in montem Syon,
quod Officium ego cantavi, siquidem frater Seraphinus, heb-
domadarius conventus petivit me, ut loco ejus Officium can-
tarem et fratres non sacerdotes communicarem. Quod libens
feci et quasi pro singulari gratia accepi, quod Missam con-
ventus in illo loco cantare merui, in quo hoc sacrum eucha-
ristiae divinissimum creditur institutum primitus, et quod
fratres eodem sacramento communicare habui in illo loco, ubi
Christus suos discipulos primo communicavit et se ipsum in
eodem loco manducavit, ut patet fol. 94 B. Post prandium
autem in quiete mansimus.

Vicesima octava die mane descendи cum procuratore in
civitatem ad forum et ad vicos cocorum, et magnam rerum
venalium abundantiam ibi vidi et hominum copiosam multi-
tudinem et coquinas multas; non enim coquunt homines in
domibus suis, sicut apud nos, sed cibos coctos emunt ab
ipsis publicis coquis, qui in patentibus coquinis cibos mun-
dissime parant, nec videtur ibi iugem mulier, imo in
coquinas nulla mulier ingredi praesumit, et Sarraceni cibos
coctos a mulieribus sicut venenum abominantur. Ideo nulla
foemina sciret coquere offam, sed solum viri sunt coci per
totum orientem. Oportet autem in istis partibus coquinas esse
communes, quia ligna sunt ibi in caro foro propter terrae
siccitatem, et non potest esse in qualibet domo coquina, sicut
apud nos, propter lignorum defectum. Et his visis regressi
sumus, post Officium prandium sumsimus.

Vicesima nona die procuraverunt peregrini omnes quilibet
pro se lectulum bombyce impletum, quibus uteremur tam in
Jerusalem quam per desertum sub tentoriis, de quibus et
mihi unum fieri feci, quousque fui in Jerusalem, et per de-
sertum et per mare usque Venetas et a Venetiis duci
mihi feci usque Ulmam in cellam nostram, in qua pro reli-
quiis sacrae peregrinationis eum servavi.

Post prandium venerunt in equis ad montem Syon domi-
nus Naydan, praefectus Jerusalem, et dominus Vaccardinus
et dominus Sabathytanco, Sarraceni potentes, ut refrigera-
rentur. Est enim in monte Syon semper aer recentior quam